



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque
Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. LXI. Maceraten. Ususfructus. De eodem usufructu legali debito patri
in bonis adventitiis filii, an & quando cessen, si filius est clericus, & qualis
clericatus requiratur. Et an talis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74102)

Et tertia ratio est, quod feudum dicitur militia, & feudatarius est miles primi ordinis, habens primum ad insular antiquorum militum duplex patrimonium, ac duplē hāredem militarem & paganum, ut frequenter in sua materia *sub tit. de fēdīs*, prasertim in *Romanā contributionē de Columna*, & in *Romanā sēi Roffanen. disc. 21. & 22.* Et consequenter intrant termini peculiū caſtrenſis, in quo filius reputatur paterfamilias, & non habet locum regula prædicta textus in *l. cam. oportet Cod. de bonis, quæ liberis.*

Ex qua ratione, quicquid circa hujusmodi limitationem diſtinguendo species seu qualitates feudorum motivet *Gabr. dēcō cons. 162. numer. 46. & seqq.* Ego advertebam, cādem limitationem omnino cadere, ac recipiendam esse in Baronibus & 12 Domicellis statu Ecclesiastici pro majori parte possidentibus caſtra, oppida, & loca jurisdictionalia, magis in qualitate allodii quam veri feudi, excepta illa impropria & remota feudalitate, quæ latē & doctē deducitur per *Spadam cons. 2. lib. 1. pro superioritate Papæ*, ac ad excludendum purum & liberū allodium, ut frequenter in dicta sua materia *sub tit. de fēdīs*; Quoniam etiam in iſtis intrare videtur eadem ac major ratio prohibita alienationis vel divisionis ob *Constitutiones Apostolicae*, ut prasertim *eodem tit. de fēdīs in Camerinen. disc. 49.* Ac etiam, & verius, quod ita intrat eadem ratio peculiū caſtrenſis, dum iſi Bārōnes & Domicelli caſtra & bona jurisdictionalia possidentes, de factō dicuntur milites primi ordinis hujus Principatus, Magnatitum ac Baronalcm ordinem constituentes, ideoque hujusmodi species honorum ita inter caſtrenſia magis, quam paganica in proposito emeranda videntur.

Quamvis autem in hac facti ſpecie deficerē videatur applicatio, cum in hac hereditate obsequitam deviationem dicatorum feudorum Regni Neapolitani nulla ſupererent feuda vel caſtra & bona jurisdictionalia, ſed totus aſſis penē conſideret in predictorum caſtrorum & bonorum jurisdictionalium jam distractorum prelio, quod non dicitur feudale vel jurisdictionale, ut apud *Franck. decif. 64. Manent. decif. 57.* & frequenter in dicta sua materia *de fēdīs*; Nihilominus adhuc à ſimili, ſeu ex identitate rationis dicebam prædicta ad rem conſerre ad magis coimprobandam dicti testatoris voluntatem ex aliis quoque conjecturis & adminiculis ubi ſuprā deſumptam; Cum enim ipſe habens ſolum titulum ſeu nuncupationem Princepis loci Gallicani jam ab eis patre ut ſuprā cum reliquo ſtatu Zagorole diſtraetæ, quamvis nullum feudum vel locū jurisdictionalē in hoc Principatu haberet, adhuc tamen hujus Principatus Baronis & Magnatis figuram facere profitebatur, & ſic de ordine militi primi ordinis Papæ tanquam Princepis temporalis; Ita conſideravit ac veri ſimiliter voluit eamēdē figuram continuandam eſſe à prefato ejus herede titulum Ducis jam habente, ut ita quodammodo faceret caput diversa domus ab ea, quam eodem tempore faciebat dictus Princeps pater, quod utique ſequi nō potuſſet, data dicti uſuſructus competentiā, ponderando hæc omnia inſimul & unitim ut ſuprā.

MACERATEN.

U S U S F R U C T U S

P R O

MARCO ANTONIO CONVENTATO

C V M

JULIO CÆSARE EJUS FILIO.

*Casus disputatus coram A.C. pender in Ro-
ra, ut infrā.*

De eodem uſuſructu legali debito patri in bonis adventitiis filij, an & quando cefſet, ſi filius eſt clericus, & qualis clericatus requiratur. Et an talis uſuſructus locum habeat in iis quæ obveniunt in filium ex eadem dispositione, ex qua etiam pater aliquid obtinet. Et quid de bonis obveniatis cum vinculo fideicommissi ſeu primo geniture.

S V M M A R I V M.

F Acti ſeries.

- 1 Bona adventitia filii familiā clericī reglanter jure caſtrenſum tam ad effectum teſtandi quam ne acquiratur uſuſructus patri.
- 2 Non acquiritur patri uſuſructus in illis bonis, in quibus filius cum patre ſuccedit.
- 3 Heres gravatus dicitur verus Dominus.
- 4 Pater non habet uſuſructum in illis bonis, que filius acquirit cum vinculo fideicommissi.
- 5 Concluſio de qua num. 2. procedit in bonis quæ acquiruntur tempore clericatus non antea.
- 6 Mors filij non facit ceſſare uſuſructum patris.
- 7 Quid si filius ante clericatum acquirat ſolum proprieatem. & uſuſructus conſolidetur post clericatum.
- 8 Quid in caſu conſecrationis honorum filij an prajudicet patre in uſuſructu.
- 9 Distinguuntur iſſectiones ſuper concluſione de qua num. 2.
- 10 Quod dicta concluſio procedat ſolum in clericis qui in certis ordinib⁹ conſtituti ſunt, & de ratione.
- 11 Litigatio ſtrictē intelligenda, & non extenditū de caſu ad caſum.
- 12 Idem de priuilegiis.
- 13 An prima tonsura ſit ordo, & in quo diſferat ab alijs ordinib⁹.
- 14 De diſferentiā in materia ordinum inter Ecclesiam Graciam & Latinam.
- 15 Impugnatur concluſio, de qua num. 2. ac firmiter non procedere in clericis in minorib⁹.
- 16 Expenduntur plures rationes hujus concluſionis ſeu priuilegiū.
- 17 Poſto quod hoc priuilegium conueniat etiam clericis in minorib⁹, an concurrere debeant requaſita Concilii Tridentini.
- 18 De rationib⁹ ob quas in clericis in minorib⁹ non inret. auth. Presbyteros.

20. D

- 20 De materia text. in auth. Item hereditas de quan-
num. & quando procedat, distinguuntur plu-
res casus.
21 An queratur patri ususfructus legalis in bo-
nis filio obvenientis cum vinculo fideicom-
missi.

DISC. L XL.

IUlius Cesar Conventatus Maceratensis per donationem inter vivos in aliquibus bonis, eorum usufructu sibi reservato primogenituram ordinavit in Fabritio primogenito Marci Antonii ejus filii, & sic successivè de primogenito in primogenitum, & cum primogenitura ordine in universa dicti Marci Antonii linea masculina. Præfuncto autem dicto Fabritio sine prole, adhuc vivente, donatore, hic in ejus testamento, enunciando & approbando dictam donationem, quam per ejus mortem recasuram dixit in Julianum Cæsarem juniores praefati Marci Antonii secundum filium ita effectum primum, ejusque morte sequuta, orta est controversia inter prædictos patrem & filium super usufructu legali, quem pater in hujusmodi bonis prætendebat; Et introducta causa coram A. C. prodiit sententia patri favorabilis, à qua interposita appellatione in Rota corā Priolo, filii defensores adverentes fortè ad errorem, cum quo in prædicti instanti procerferant super disputatione petitorii, isto suspenso, asumperunt solum possessorum manutentionis, in quo sub die 23. Iunij 1664. dicto Julio Cæsari filio resolutio favorabilis prodiit, concessa vero nova audiencia, diù causa siluit, atque sub die 28. Maij 1668. coram Taja subrogato in locum Prioli infirma valetudine detentis, ex parte eiusdem Julij Cæsaris assumpta fuit diversa disputatio super alimentis à Marco Antonio patre sibi præstandis, quæ sibi decreta fuerunt in annuis scutis 200. statibus solitis requisitus paupertatis, & præsumptionis boni juris. Et in hoc statu causa reperitur.

In disputationibus autem in petitorio super dicti usufructus legalis competenter habitis coram A. C. in quo Tribunalis solum ego scripsi pro Marco Antonio patre, hucusque in Rota non requisitus, Sribentes pro filio non negabant regulam resultantem à vulgari textus in l. cum oportet Cod. de bonis qua liberis, cum concordantibus super hoc legali usufructu competenter patri in bonis in si ium quomodocumque obvenientis, ac sub peculij adventitijs nomine venientibus, quæ castrensem vel quasi qualitatem non habeant; Insistebant vero in tribus limitationibus; Primo scilicet ratione clericatus dicti Iulij Cæsaris, unde propterea etiam adventitia jure castrensem vel quasi regulanda sunt, atque in eis filius familias clericus jure patris familiis censetur tam ad effectum testandi, seu alias libere disponendi, quam successivè ad dictum alium effectum cessationis usufructus legali per text. in auth. presbyteros Cod. de Episcopis & clericis, & in 2. presbyteros auth. de Sanctissimis Episcopis, & carteris antiquioribus habetur apud Carol. de Graff. de effect. clericat. effect. 19. num. 3. & 66. Paschal. de patr. potestate par. 1. cap. 3. num. 6. Surd. conf. 259. num. 6. cum sequent. Squillant. de privil. clericorum cap. 12. num. 12. de Marin. resol. 62. num. 12. lib. 1. Boss. de patr. potestate cap. 5. ex num. 178. late Andreol. controv. 326. & dicit etiam Rota in Florentina subdecanatus 28. Aprilis 1676. coram Machiavello.

Altera deducebatur limitatio ex textis in auth. item hereditas, Cod. de bonis que liberis, quod scilicet patri non debetur usufructus in bonis, in quibus filius una cum ipso succedit; Et quamvis textus loquatur de successione ab intestato, quæ utriusque æqualiter deferatur, unde propterea non parum controversum est inter antiquores, an idem procedat, quando ambo ex eadem testamentaria dispositione universalis vel particulari persona conjunctæ vel extraneæ emolummentum obtinent ex magistratice examinatis apud Fraych. decis. 61. Nihilominus præsertim apud modernos, dicebant ijdem scribentes, magis communem & receptam assistere filio, ut scilicet eadem dispositio praefata auth. intret ut per Mandell. conf. 110. per totum, & alios plenè collectos per Andreol. controv. 224. num. 2. per totum, Rota decis. 372. par. 5. rec: atque post istas disputationes cum eodem sensu processit in Romana legati 22. Martij 1666. coram Oatalora, de qua causa infra disc. sequent.

Et tertia demum erat limitatio, quod hæc bona obvenient filium cum vinculo fideicommissi seu primogenitura, unde propterea cum ejus utilitas verè & de facto considereret in sola fruitione ad vitam quamvis ex fictione juris ad alios effectus dicatur habere ipsorum plenum dominium, resolutioni tamen subjectum iuxta magis veram & receptam opinionem, de qua Molina lib. 3. cap. 4. num. 19. cum sequent. Rota decis. 200. n. 13. par. 5. rec. alias apud Duran. decis. dec. 155. n. 16. Idcirco dari non debet hic usufructus, cum ita dari posset, quod filio patri præmoriens, sive post cum ad breve tempus decedente, fideicommissi vel primogenitura successio quoad eum inanis, & sine aliqua utilitate remaneat, ut rejectis contrarium tenentibus, firmat ac probant collect. per Surd. conf. 16. n. 55. & seqq.

Singulas autem hujusmodi limitationes examinando, quatenus pertinet ad primam ratione clericatus, opus non fuit altius examinare dicta limitationis veritatem in abstracto, & quando illa locum habeat necnè, cum difficultas de plano cœlare videretur ex facto, quoniam de tempore quo per mortem Fabritij primogeniti & primi donatarij primogenitura delata fuit dicto Julio Cæsari, hic erat secularis, clericatus enim postea supervenerat; Et consequenter admissa etiam generaliter & indefinitè dicta limitatione juxta dispositionem dicta auth. presbyteros, illa non cadebat in præsenti, cum textus ad littoram loquatur de bonis, quæ in clericos obveniunt, & sic requiritur clericatus de tempore obventionis; ut ceteris antiquioribus relatis firmiter Covarr. in cap. quia nos num. 2. in fine de testamentis Snarez. in quæst. majoricatus num. 37. & sequent. Paschal. dicta par. 1. cap. 3. num. 6. Carol. de Graff. dicto off. 19. num. 67. de Marin. dicta resol. 62. num. 13. Genuen. in practicabil. Eccles. 665. Gratian. discept. 464. per rotum Boss. de patr. potestate dicto cap. 5. ex n. 175. & hanc relato Covarr. & alijs veram ac certam dixit Rota in Romana donationis 4. Martij 1575. coram Cesar. de Graffis, quæ non est impresa inter suas sed circumfertur manuscripta, ex ea clara ratione, quod superveniens clericatus non immutat natum bonorum, quæ in qualitate peculij adventitijs per filium acquisita sunt, neque tollere debet jus patri jam qualitum, quoniam alias in filii libito positum esset cum assumptione clericatus patrem hoc jure privare; Atque si habomus quod etiam superveniens filii mors istum usumfructum cessare non facit §. 1. auth. de hered. que ab intest. deferant. ubi Bar. et ceteri per Merlin lib. 1. controv.

Prov. 29. & Thesaur. dec. 156. multominus hæc statutus immutatio voluntaria.

Non negabant scribentes in contrarium veritatem hujus conclusionis, sed impugnabant applicationem ad easum, ex eo quod licet jus dictæ primogenitura delatum esset ante clericatum per mortem fratris, nihilominus fuerat sine aliquo effectu ob reservationem ususfructus factam à prefato avo donatore, per cuius mortem in effectu dictum emolumenatum obvenire dicebatur, & sic de tempore clericatus; Verum hæc replicatio, reflectendo etiam ad veritatem cum iustitia fundamento rejecta fuit; Tum ex specialiter firmatis apud *Gratian.* dicta discept. 464. num. 17. 18. & 26. contra quam specialem auctoritatem alia non dabatur in contrarium, quæ ad hos terminos descendere; Tum etiam ob vivam & irrefragabilem rationem, quod ubi in tempus mortis non confertur substantia donationis, sed sola executio, illa dicitur ab initio perfecta, & translata dominii, fortius vero ubi accedit clausula constituti, quæ habet vim traditionis, unde possessionem etiam manutenebilem transfert ut firmatur in specie in hujus causa decisione ut supra in possessorio edita 23. Juny 1664. *coram Priolo,* & est quotidiana recepta conclusio; Ac etiam accedit reservatio ususfructus, quoniam cum hic importet servitutem, quæ non datur in re propria, idcirco ita implicitè in donatiarium ab initio translatâ dicuntur tam dominium, quæm possest, & sic obvienter sequitur fuit ante clericatum, unde dici non poterant bona obventa in clericum, de quibus te. tus loquitur.

Ad quod satis proximè conferre dicebam ea quæ ex *Secundo junior. conf. 77. num. 14. volum. 2. & Ruin. conf. 1. 4. num. 13. & per tot. lib. 5. habentur apud Menoch. de recuper. n. remed. 9. num. 87. & Farin. in praxi. 9. 24. num. 7.* quod scilicet si per filium familiæ acquirantur bona sola proprietate, reservato alteri ususfructu ante delictum seu publicationem bonorum, quæ sequuta, ususfructus cesset, id non præjudicat patri, cui ex tunc ab initio, & de tempore habili quæsitum fuit jus, suspenso solùm efficiet, donec cessaret ususfructus alteri reservatus.

Hinc, ut dictum est, cessabat necessitas assumendi altiorem inspectionem super dictorum iurium intelligentia, & in quæ specie clericatus vel respetive honorum id procedat; Ex tunc tamen, insinuabam mihi non placere traditionem modernorum generaliter & indefinite in quocumque clericu etiam in minoribus hujusmodi conclusionem firmantium, eundemque sensum haebat ingeniosus iudex, quod ad plures annos occasio debet formiter disputare in Rota in proposito factonis testamenti, in *Romanæ testamenti de Iehor coram Priolo,* de qua in sua materia *sub tit. de testam.* cum isti effectus sint conexi, ac pendent ab eodem principio.

In hoc autem articulo, tam occasione istius quæm alterius supra insinuatae controversiae, dicebam tres cadere inspectiones; Primo scilicet, an omnis clericatus indefinite sufficeret etiam in sola tonsura, vel aliquis ordo ad hunc effectum requiratur. Secundo posito quod sufficiat solus clericatus in minoribus, an ad hunc effectum desideranda veniant requisita *Sac. Conc. Trid. sess. 23. de reformat. cap. 6.* quod scilicet habere debeat beneficium ecclesiasticum, vel eo cessante, debeat incidere in habitu & tonsura, ac servire in divinis in aliqua Ecclesia, cui per Episcopum sit adscriptus. Et tertio deinceps, an id procedat in bo-

nus laicalibus alia occasione quam clericatus obvenitis, vel potius in iis quæ intuitu vel occasione clericatus acquisita fuerunt, cum sufficeret unum ex his desicere ad effectum, ut cessante limitatione fundata remaneat intentio patris, habentis pro se regulam.

Quatenus ergo pertinet ad primum, insinuabam in ista, magis autem ex profecto in dicta alia causa *sub tit. de testamentis,* quod primo loco textus in *I. Sacro sancta 33. Cod. de Episcopis. & clericis* hoc privilegium concedit solum Episcopis, presbyteris, & diaconis, tanquam constitutis in majoribus ac primariis ordinibus; Deinde vero textus in *S. presbyteros auth. de Sanctissimis Episcopis,* unde per eadem verba *Inserius* efformavit *dictam auth. presbyteros Cod. dicto tit. de Episcopis & clericis,* hoc privilegium reperitum in presbyteris & diaconis ampliatum fuit ad subdiaconos, cantores, & lectors, & sic limitatum est ad clericos constitutos in certis ordinibus, & consequenter non convenit indefinite omnibus, praesertim sola prima tonsura initiatis, ut erat casus praesentis & dictæ alterius controversiae. Aut enim dicimus ita dispositum esse per viam limitationis regularis generalis inductivæ hujus ususfructus legalis in bonis per filios familiæ quæsitis, seu prohibitive facultatis testandi, & certum est, quod limitatio tanquam exorbitans & odiosa non extenditur ultra casus expressos, cum pro illius restrictione potius interpretatio capienda sit, ex collectis per *Barbos. axiom. 198. Franch. dec. 197 numer. 9. Mantic. dec. 25.* & in specie regulæ seu limitationis qualificatae, quod locum habeat ad terminos qualitatis, cum qua inducta est, plene concordantes colligendo *Fontanell. de pact. n. p. claus. 5. glos. 1. p. 2. numer. 19. cum seqq. cum quo pertransit Rosa dec. 357. numer. 23. & sequen. par. 10. rec.* Aut quod sit privilegium, & pariter ut potest a jure exorbitans, ita dictum, quia privat legem, & attendendum est in casu præcisio, atque, ut nos sibi dicunt, quantum verba sonant, *ad notar. in l. ius singulare ff. de legibus. Buratt. dec. 19. numer. 5. & paucim. quoniam est axioma vulgatum.*

Et quamvis non modica quæstio sit inter Canonistas & Theologos, an prima tonsura sit ordinem necne, vel potius quedam introductio ad ordines, ac adscriptio militia clericali, tanquam preparatio ad ordines suscipiendos, ut classes hinc inde colligunt *Carolus de Graff. de effectu clericar. in præludio numer. 298. & sequen. & Barbos. ad Concil. Trident. sess. 23. de Sacramento ordinis cap. 2. numer. 1.* Attamen dicta quæstio percurrit ordinem ecclesiasticum in genere, an scilicet de illo solam tonsoram habentes esse dicantur ad effectus fori, & immunitatis, ac similes; Non tamen exinde resultat, quod dicte valent constituti in ordinibus particularibus in dicto textu explicatis, cum in Ecclesia Latina ultra tres ordines majores, presbyteratus, diaconatus, & subdiaconatus, habeamus etiam quatuor alios ordines minores omnino distinctos à tonsura, & qui singulariter conferuntur ab Episcopo in Ecclesia, & pontificaliter exercente suam potestatem collationis ordinum, quod non sequitur in tonsura, quæ etiam privatim in aula & ubi cumque absque aliqua solemnitate conceditur tanquam adscriptio militia clericali, seu cooptatio in ordinem ecclesiasticum in genere, unde proprietate, quæ in jure statuta sunt de acolythis, lectoribus, exorcistis, & ostiariis, non convenienti habentibus tantum tonsuram, quinom & habentibz

DE SERVIT. AD MAT. VVSFRVCT. DIS. LXI. 101

tibus dictos alios ordines respectivè, quia disposita in exorcisis vel acolythis non convenientiunt ostiariis &c.

Clariss quia, ut occasione exemptionis clericorum orientalium à munericibus laicilibus habetur insinuum in *Hydratina sub titul. de Regalibus* *discurs. 60.* in Ecclesia græca, ubi dictum jus novissimum authenticorum sub Justiniano Imperatore conditum est, non est in usu hoc genus clericorum sine aliquo ordine solam tonsuram habentium, sive exceptis tribus ordinibus majoribus, in reliquis minoribus differunt Ecclesia græca & latina, tam in numero, quam in nomine; Ac etiam generaliter diversa est forma ordinandi ex ibi deductis; Et consequenter quicquid moderniores scriptores, tam jurista quam morales in majori numero, more collectorum, sive unus alium transcribendo dicant, etiam cum sensu veritatis, dicebam quod attempta clara littera textus, hæc opinio nullatenus habere videtur juris fundamentum, id est que omnino probabilior censenda est opinio antiquorum juristarum, qui magis fundatè loqui profitebantur, nempè *Ioannes de Imola, Rips, & alij*, quos refert *Boss. dicto tract. de patr. potest. cap. 5. num. 13.* Ut id non procedat in clericis in minoribus.

Idem quoque ponderando rationes, in quibus nostri majores hujusmodi privilegia fundata esse opinati sunt, aliqui enim ita crediderint, quia putabant sacerdotium, allisque sacros ornes liberare à patria potestate, si non in totum, ut facit Episcopatus, saltem quadrum plures effectus *juxta cons. Bartoli* *61.* cum aliis plenè relativi pro utraque sententia per *Fagnan.* in cap. *indecorum de arate & qualitate numer.* *20.* cum sequen. unde quicquid sit de ista quæstione, in ea exceptis quibusdam limitationibus, verius est regulam esse generaliter negativam; Hoc unum est, quod hæc ratio adaptari non potest constitutis in sola tonsura, vel ordinibus minoribus, cum in istis nemo dubitet.

Alii credunt collecti per *Carol. de Grae. dicto effect. 19. num. 65.* & *seghen. Barbo. in collectan. ad diem auct. presbyteros.* *Boss. dicto cap. 5. numer.* *182* quod id est quibuscumque clericis etiam in minoribus vel sola tonsura id conveniat, quia textus indefinite omniis clericis loquitur in illis verbis, *quos omnes clericos appellamus.* Verum hæc est clara fallacia, nimiumque evidens leguleica simplicitas, quoniam textus dicit, quod presbyteri, diaconi, subdiaconi, lectors, & cantores, sint & apppellentur clerici, non inde tamen sequitur, quod reliqui sub clericorum genere venientes cadant sub dispositionibus nominatum factis de constitutis in prefatis ordinibus, recte enim intrat argumentum, est presbyter, diaconus, subdiaconus, lector vel cantor, ergo est clericus, sed non e converso, est clericus prima tonsura, ergo est presbyter diaconus, subdiaconus, lector, vel cantor, utclare ad sensum.

Alij præsertim *Covarr.* in cap. *quia nos de testam. num. 3.* quem moderniores in magistrum agnosceré videntur, procedendo cum sensu *Abbatis,* & *Burrini ibidem*, fundantur in eo, quod juxta magis communem opinionem canonistarum, tonsura quamvis non sit ordo in specie, saltem est ordo in genere, & propterea quod clerici prima tonsura ita quendam ordinem habere videbantur; Sed pariter manifesta videatur hujus fundamenti fallacia, quoniam aliud est agere, an clerici prima tonsura dicitur de ordine ecclesiastico, quoad generalia pri-

vilegia canonis, fori, & exemptionis personalis realis; Aliud vero; an privilegia, & prærogativa concessa constitutis in certis, & specialibus ordinibus competante illis, qui in dictis ordinibus constituti non sunt, quamvis habeant nedum dictum ordinem ecclesiasticum in genere, sed etiam unum vel plures alios ordines in specie, quoniam, ut supra dictum est, præminentia, qua conceduntur presbyteris, diaconis, & subdiaconis, prætendi non possunt per clericos in minoribus, quamvis nedum tonsuram, sed etiam omnes alios quatuor minores ordinis habeant, & sic respectivè,

Denum plures moventur ex dispositione *textus in dicto cap. quia nos de testamentis*, ubi clericis conceditur libera facultas testandi & disponendi de omnibus bonis quomodoquinque obuentis, & quasiatis; praterquam de bonis ecclesiasticis sive Ecclesiæ occasione quasiatis, licet enim textus percusat facultatem testandi, attamen, ut dictum est, isti termini fraternizant, & coincidunt in idem, quoniam si damus generaliter omnia bona adventitia in filio-familias clericis habere naturam seu prærogativam castrensum, vel quasi ad effectum testandi, exinde de consequenti resultat etiam hic effectus usus-fructus.

Verum hæc alijs evidentior est fallacia quoniam textus prædictus nullam mentionem facit desiliens familias, quinimo potius supponit comitrium, quod scilicet clerici paternam successiōnem jam obtinerint, ibi *de his, que paterne successiōnis, &c.* & consequenter nunquam cogitavit hac iudecretalis in hoc alterare juris dispositionem, seu aliquod speciale privilegium concedere, cum verè aliud non contineat nisi moderationem seu verius declaracionem prohibitionis testandi & disponendi, quam clerici attenta antiquorum canonum dispositione habebant, declarando quod talis prohibito procedat ac firma remaneat in bonis occasione Ecclesiæ quasiatis, quæ etiam hodierna praxis docet spolio fabjaccere, non autem in alijs extra causam Ecclesiæ vel clericatus obuentis juxta ea, quæ in hac materia spoliij clericorum, & facultatis disponendi habentur deducta apud *Rota dec. 280.* & *314.* & apud *Celsum dec. 65.* Vnde propterea ex hoc textu ita male intellecto nedum ortum est istud æquivocum, sed etiam alterum, de quo in sua materia *sub tit. de restam.* quod scilicet testamenta clericorum non subjaceant querela inofficio.

Hinc cessare videtur necessitas assumendi alias duas inspectiones superius distinctas, cum omnino verius videatur *dicta ant. dispositionem hujusmodi* clericis in minoribus non convenire; Verò quando spectato solo numero DD. non autem pondere & rationibus, contraria sententia tenenda esset, Adhuc tamen probabilius dicebam in hujusmodi clericis ad hunc effectum vel alterum testandi concurrere debere dicta requisita Sac. Conc. Trid. vel quod scilicet habeant aliquod beneficium ecclesiasticum, vel quod incedant in habitu & tonsura, & serviant in divinis; Licet enim plures relati per *Barbo. in collectan. ad eamdem ant. presbyteros,* & per *Boss. dicto cap. 5. num. 182.* teneant negativam, quod scilicet dictum Conciliare decretum utpote exorbitans à jure communi intelligendum veniat in solo casu, de quo loquitur pro exemptione à foro laicali, non autem circa reliqua privilegia vel exemptiones à munericibus, vel quod illud *cap. Odoardus* cum similibus, ut occasione hujus privilegij habetur decaustum in *Romana admissionis*

ad cap. Odoardus & in aliis sub tit. de credito. Nihilominus etiam in dictis terminis cap. Odoardus contrarium verius creditur Rota in decisione edita in dicta Romana s. Martij 1668. coram Otalora, Et in his terminis auth. presbyteros bene Spinus in specie testamensorum glo. rubr. par. 4. numer. 23. Beller. disquis. clerical. par. prima tit. de bonis clericorum §. 7. numer. 26. Boff. dicto cap. 5. numer. 183. ubi alij colliguntur; Atque in hanc opinionem inclinare vifa est Rota in hac eadem causa in dicta decis. 28. Maij 1668. coram Taja edita ut supra occasione alimentorum, & deinde occasione factionis testamenti in Romana testamento 26. Novembris 1668, coram Priolo, ubi negligendo assumere dictam primam inspectionem, de qua specie clericorum dictus textus intelligendus veniat, ac alteram super specie bonorum, hoc solo motivo contenta fuit; Quod tamen in Urbe videtur periculosem propter contrarium usum præservativum circa servitium in divinis, ut advertitur in eadem causa sub tit. de testamentis, & in dicta alia Romana admissionis ad cap. Odoard. sub titulo de credito.

Qua difficultate circumscripta, id omnino verius videtur, ex ea clara ratione assignata per Rotam in dicta Romana cap. Odoardus s. Martij 1668. Otalora, quod cui negatur majus ac præcipuum privilegium clericatus connaturale etiam de jure divino juxta unam opinionem apud canonistas & morales magis receptum, & quòd alia est indubitate, nullamque recipit controversiam. Multomagis deneganda sunt ista privilegia à jure exorbitantia & acciden-talia, neque in jure expresse determinata, sed juxta superiori deducta respectu clericorum in minoribus à DD. fallacia seu equivoci emanantia.

Et quidem pro meo iudicio hoc assumptum claram continere videtur fallaciam ac leguleicam simplicitatem in nostris clericis Ecclesiæ Latinae in minoribus, potissimum verò cum indefinita intelligentia super bonis temporalibus aliás quam Ecclesia vel clericatus occasione obventis; Tum quia, ut supra insinuatum est; Ecclesia Graeca non cognoscit, vel saltem tunc non cognoscet hunc ordinem generalem clericorum nullum specialem ordinem habentium solaque tonsura initiatorum, ut advertitur in dicta Hidruntin. sub tit. de Regal. Tum etiam quia reflectere oportet ad locum & tempus, in quo dictum novissimum jus prodit, in Urbe scilicet Constantinopolitana, ubi vivitur ritu Graeco, & in Ecclesia primitiva, quando non irreperatur hic usus vel abusus tam magnæ frequentia clericorum, ut patet ex deductis per Cardinalem Bellarmin. in ejus opusculo intitulato *Admonitio ad nepotem*, occasione admonendi nepotem ad Episcopatum promotum, ut nimium cautè ac parcè procederet super exercitio potestatis apponendi manus; Atque illis temporibus inspectis, sub nomine presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum, cantorum, & similium, veniebant illi, qui primam, & magnam figuram cum Episcopo faciebant habentes illos ordines tanquam speciem officii seu dignitatis ut hodiernis temporibus in Ecclesia Romana universalis sub nomine presbyterorum & diaconorum venient Cardinales ita in istos ordines distributi, & respectu aliarum Ecclesiæ inferiorum sunt Canonici Cathedralium pariter & ad instar, ut edocemur præsertim ex legenda S. Hieronymi Ecclesia Doctoris, qui presbyter simpliciter Ecclesiæ Romanae nuncupatur, idoque ex quodam communis judicio creditur quod fuerit Cardinalis, unde Ecclesia permittit e-

ius imaginem depingi cum insignibus Cardinali-tiis; Et sic videtur dictum jus novissimum editum esse in gratiam hujusmodi dignitatim, quæ ad instar Episcopatus, attenta ut dictum est loci & temporis qualitate, eximebat à patria potestate, ut modernis temporibus, & in Ecclesia Latina facit sine dubio Episcopatus; Fabula autem species videtur dictum jus applicare omnibus clericis simplicibus nostrorum temporum, & in bonis temporalibus, quæ ex parentum, aliorumque conjunctorum successionibus obveniant, eodem privilegio solum locum habente in bonis Ecclesiæ & clericatus occasione quæstis, tanquam in peculio castrensi vel, quasi ut advertit Boff. dicto cap. 5. numer. 151. in fine, relatis diversis sententiis in duabus numeris precedentibus; Adinstar eorum, quæ habemus in militibus, quorum jure clerici tanquam milites ecclesiæ militiae regulari solent, quoniam privilegia militaria in bonis occasione militia quæstis, & non in aliis competit.

Quoverò ad alteram limitationem, quæ ex parte filii, ut supra deducetur ex text. in auth. item hereditas Cod. de bonis 3. qua liberis 3. stante quod in eodem avito testamento pater & filius honorati erant, juxta auctoritates supra initio allegatas, etiam cum sensu veritatis, dicebam dictam limitationem in hac facti specie non intrare, adhibendo quoque casuum distinctionem, ut in hac materia faciebam in Romana legati disc. sequenti; Plures etenim casus in proposito distinguendi sunt; Primus est, ubi agitur de testamentaria dispositio-ne ejus, cui ab intestato morienti pater & filius æqualiter successuri fuissent, itaut testamentaria dispositio explicit solum id, quod de jure ineft, & tunc intrat prefatus textus in auth. item hereditas, militante eadem ratione, cui ille innititur, quod scilicet pater obtineat portionem proprietatis alias de jure antiquo sibi non competentem, ac exuberanter compensatory ususfructus, à quo filius eximitur in compensationem damni, quod ex eodem jure novissimo patitur in proprietate, quam alias integrum habebat; sed iste casus non adaptatur ad facti speciem.

Alter casus est, ubi intestata successio testatoris tota ad filium spectat debuisset, & in quem testatoris affectio, seu dispositio principaliter directa est, pater autem ex ejusdem testatoris iudicio in aliquo honoratur, & tunc pariter ex magis communi & vera opinione prefata auth. dispositio locum habere debet; Tum ex eadem si-perius insinuata ratione compensationis damni, quod filius ita sentit in proprietate, quam alias de jure integrum habere deberet; Tum etiam ex verisimili voluntate testatoris, quod illud emolumumentum patri relinquere voluerit loco ususfructus legalis sibi alias competentis, & hic est casus, de quo agitur per Rotam decis. 371. pars 5. sec. atque in his terminis intelligendi veniunt Mandell. dicto cons. 110. & alii relati per Andreol. dicta controver. 224. num. 2. dum in dicta ratione principiter fundantur.

Tertius casus est, ubi dispositio ad favorem filii fit principaliter intuitu & contemplatione patris, & pro eo ab aliquo onere verisimiliter sublevando, juxta casum de quo disc. sequenti, & tunc non intrat hæc inspectio, quoniam dicitur peculiun profectum, quod tam in proprietate quam in usufructu acquiritur patri, & si de facto obtinet filius, tenetur imputare in legitimam, ut eodem disc. sequenti adveritur.

Quar-

Quartus demum est casus noster; ubi testator cum parte disponit ex motivo necessitatis, vel principalis ac majoris affectionis, eodemque tempore disponit ad favorem filii, cuius affectio in testatore sit mediante persona ipsius patris, ita ut non ob meritorum personale & independens ipsius filii, sed quia filius talis patris; Et tunc probabilius videtur non intrare terminos dictae auth. ob utramque rationem ut supra cessantem, quia dicimus non potest dispositionem factam ad favorem patris suile ex solo motivo compensandi usumfructum, minusque quod dispositio ad favorem filii fuerit ex motivo compensandi cum ea majori proprietate, quam alias obtinere debuisset, & sic cessat utraqe ratio, cui huius auth. dispositio innicitur, ut adverturnt, & ex professo probant Morot conf. 18. & Giurb. ad consuer. cap. 7. glof. 3. par. nu. 21. & 22. relati per Andreol. dicta controv. 22.4. num. 3. cum sequen. & habetur disc. seq. In hac enim facta specie si testator obiisset intestatus, universa successio in proprietate & usufructu debita fuisset Marco Antonio patri tanquam filio primi gradus absque aliqua mixtura Iulii Cæsaris nepotis, cuius parre superflite, nulla est successio avi, atque dispositio ad favorem ejusdem nepotis non fuit ex merito personali, sed quia filius primogenitus filii ipius testatoris juxta facta teriem de qua supra.

Alia etiam ratione pro meo iudicio concurrens, quod ubi dispositio ad favorem filii non est ut supra ex merito personali seu particulari affectione independenter à persona patris, sed quia est istius filius, regulariter id importare magis deber peculium profectionis, unde quando, vel ex modo disponendi, vel potius ex DD. subtilitatibus & traditionibus dicendum magis sit adventicium, incongruum ac irrationaliter videtur ut in odium patris tot exorbitantia & specialitatem cumulari debeant dum nulla assilist ratio ex iis, quibus innitur dispositio dicta auth. & in corpore unde sumitur.

Et clariss., quia revera in hoc testamento nil contineri videtur dispositivè ordinatum ad favorem filii, cum totum sit enunciatio seu presuppositio, enunciando scilicet primogenitaram jam factam per actum inter vivos irretraçibilem, & in qua idem filius succedere debuisset, etiamli testator nihil desuper dixisset, unde propterea fuit expressio ejus quod jam inerat, & consequenter non videbatur, quod exinde dictus effectus deduci posset.

Majorem difficultatem mihi inferebat alterum morivum, quod cum hujusmodi bona non obvenissent libere in filium, sed cum vinculo primogenitura, probabilius videtur in hujusmodi bonorum 21 specie non intrare hunc usumfructum legalem, vel ob eandem rationem cadentem in feidis, quod non detur servitus servitutis, vel ob alteram, cui magis communiter DD. innicuntur, quod scilicet de facili dari posset casus, ut filio patri præmoriante seu post eius mortem ad breve tempus decedente, successio fideicommissi vel primogenitura profusa inanis remaneret ex iis, que habentur in Bononiens. ususfructus de Pepulis hoc eodem tit. disc. 63, ubi de hac limitatione; Et fortius quis accedere quoque videbatur voluntas testatoris, unde propterea intraret altera limitatio deducta ex auth. excipitur, dum in dicta enunciativa, seu presuppositiva dispositione testator presupposuit, quod dictus Julius Cæsar nepos post eius mortem dictam donationem seu primogenitaram ob cessantem reservationem ususfructus ad ejus favorem obrenturus esset in effectu & frutione cum illis verbis, che entrara à godere, que resserri non poslunt ad proprietatem, quam ab

initio mortis fratris primogeniti ipso donatore vi-
vente jam obtinebat; Et consequenter testator ita
implicè presupposuit dictum usumfructum lega-
lem non intrare; Verum super hoc motivo, non
omnino matrum iudicium reformari potuit, quia
parum ac forte nihil super eo disputatum fuit, cum
filii defensores in dictis disputationibus habitis co-
ram A. C. magis propriam opinionem, quam cau-
tam defendantes, principaliter insisterent in dicto
altero motivo privilegii clericalis, ob quod illud
à me magis formidatum, neglectum fuit, licet ex
quadam æquitate seu epicheia, atque ex verisimili
voluntate defunctorum spectata magis ejus substantia,
quam cortice verborum, Rantibus praesertim par-
ticularibus facti circumstantiis, prudenti scilicet
& recta administratione patris, ac astate & non
ad eadē matura prudenti filii, dicto motivo non ob-
stante adhuc probabilis visa fuerit præfata deter-
minatio ad favorem patris; In Rota vero incertum
est, ex qua causa adhuc mea opera adhibita non
fuit, super quo mea est consuetudo relinquendi
partes in plena libertate, ac genio nunquam con-
querendo, five turpes preces vel diligencias, aut
intercessiones adhibendo, ut forte aliqui fieri fo-
let cum maximo professionis vilipendio.

ROMANA LEGATI

PRO

PETRO CAFFARELLO

CVI

ANNA FILIA.

Casus decisus per Rotam pro Anna, & postea concordatus.

De eadem materia ususfructus legalis patri competenter in bonis adventitiis filii; An locum habeat in iis bonis, que obveniunt ex iudicio illius testatoris, qui in eadem dispositione patrem quoque in aliquo honorauit.

SVMMARIVM.

1. Fatti series.
2. De dispositione auth. Item hereditas super cesa-
tionem ususfructus patri.
3. An procedat quando pater & filius instituuntur ha-
redes in testamento, & sic aequaliter vocantur ad
hereditatem universalem.
4. Quid ubi pater est haeres & filio relinquitur legatum.
5. Quid in casu converso, ubi filium est haeres, & pari
relinquitur legatum.
6. Et de casu, in quo uterque pater & filius sint lega-
tarij alia persona scripta haerede.
7. De rationibus ob quas in legato non intret dicta auth.
Item hereditas.
8. Vbi sit legatum puella nubenda, est conjectura pro-
hibitionis ususfructus legalis patri.
9. Declaratur quomodo id intelligendum sit.

Cardin. de Luca de Servitius.

K

DISC. LXII.